

# EPITOME PRIMI LIBRI

ANNALIVM C. CORNELII

TACITI.



**C**VM tam Iulianarum quàm Pompeianarum partium duces aut bello, aut proscriptione extincti essent, atque ex nobilibus ij tantum tot cladibus essent superstites, qui, dummodo honoribus & opibus extollerentur, facile eum, à quo hæc acciperent, rerum potiri passuri erant, populus autem Romanus, prouinciæque neque in legibus, quibus nullus erat locus, neque in magistratibus, quibus Resp. quæstui erat, quidquam esse præsidij animaduertent, nullum tot malis præsentius remedium inueniri potuit, quàm vt tam perturbata, ac distracta respub. ab vno regeretur. Ideo minimè mirandum est, si tali rerum statu Augustus, vt primùm victorius, ita mox benignitate, & comitate, suisque artibus cuncta ad se trahens, patefecit sibi aditum ad principatum, quem, post oppressum Pompeium, extinctosque Triumuiros, tenuit sub nomine Tribunitiæ potestatis per septem & triginta annos continuatæ. Hinc successit Tyberius Nero priuignus ab ipso non solum in adoptionem, verùm etiam in collegium & consortium summæ potestatis assumptus. Hinc planior ei via ad principatum, quem, Augusto extincto, matris potissimum artibus adeptus, continuò Posthumum Agrippam, æmuli impatiens, simulato Augusti mandato, è medio sustulit. Cumque, libertate semel amissa, omnis generis homines certatim in seruitium ruerent, Sex. Pompeius, & Sex. Apuleius coss. primi in verba Tiberii iurauerunt. mox in Consulum ii omnes, qui temp. administrabant. Caterùm quamuis Tiberius Augusti vestigijs insistens Tribunitio iure contentus esset, tamen haud nescius quantum in eo momenti esset, vt legiones, quarum in manu sita erat res Romana, protinus, quisnam principatum adeptus esset, scirent; simulque id veritus, ne Germanicus, cuius in manu erant octo legiones, præter immensa sociorum auxilia, habere imperium, quàm expectare mallet, literas, tanquam adeptus principatu, ad exercitum misit. Augusto quidem cum ipsius testamentum per Virgines Vestæ in Senatum illatum esset, iusta ex dignitate sunt facta, addito templo, & cælestibus religionibus. At Tiberius vt vocatus, electusque potius à Rep. quàm per vxorium ambitum, & senili adoptione ad principatum irrepsisse crederetur, mira arte versat animos patrum, id per speciem recusans quod reuera omnium flagrantissimè cupiebat; donec eò flexit, non equidem vt fateretur suscipi à se imperium, sed vt negare, & rogari desineret. Eodem tempore duplex se-

A. V. C.  
D. CCCLXVII.